

NORMA  
CANONICE  
VISITANDARUM  
PAROCHIARUM

—  
QUINQUE - ECCLESIAS.  
TYPIS STEPHANI KNEZEVITS C. R. PRIV.  
TYPOGRAPHI 1828.

## Praeparatio ad Canonicam visitationem.

1. Descriptio Parochiae Anno 1827mo concinnata, quae remittitur, diligenter perlegatur, et usque ultimam Januarii accuratissime, in quantum opus est, emendata, Officio Dioecesano exhibeatur. Peculiariter de Reditibus clarissime, et recepto usui hodierno convenienter respondeatur ad sequentes quaestiones:

a. Singuli Fundi ad Parochiam pertinentes: in qua plaga, vel regione siti? — quae longitudo, latitudo, qui vicini? — a quo facta donatio sub, vel sine conditione, — cum vel sine reservatione, — ad arbitrium usque revocationem, vel perpetuo? — quam curam gerit Parochiana Communitas, et quos in specie labores quoad agros, prata, vineam etc. perficere obligatur? — —

b. Quid praestat e frugibus, vino,  
altilibus, pecunia, lignis, ( et his simili-  
bus ) Parocho, Ludimastro, Praeceptor,   
Campanatori, Templi curatori — quodli-  
bet primum, — dein secundum, et ter-  
tium par ad eandem Familiam spectantium,  
atque eodem victu utentium conjugum —  
tam colonorum, quam Inquilinorum, ac  
subinquilinorum? — — quid Vidui et  
Viduae cuiusvis memoratae classis si reti-  
neant Oeconomiam, vel si hanc dimit-  
tant? — — quid detur a singula domo, aut  
a vinea extra ambitum Parochiae sita? — —  
num aliquid praestent extranei intra am-  
bitum Parochiae vineam possidentes?

c. Quid datur a Dominio, vel Pa-  
tronu velut stabiliter Parochiae addictum?

d. E quibus Fundis, et naturalium  
speciebus datur sedecima?

e. Quot, ad quam intentionem; erga  
quale stipendum adsunt sacra fundata? —

f. Quae, quibus, quali cum securi-  
tate elocata praesto sunt Capitalia? num

de his datae obligatoriae litterae? — quis  
haec administrat?

g. Quis singula ad Parochiam perti-  
nentia Ecclesiastica aedificia conservare  
obligatur?

2. Scholares proles diligenter quoti-  
die doceantur Catechismum, historiam bi-  
blicam, cantum Ecclesiasticum, lectionem,  
scriptionem, et elementa Arithmeticæ, ut  
et his coram Episcopo examinandi, prompte  
optato cum successu respondere valeant.

3. Sine dilatione conscribantur, qui  
intra ambitum Parochiae annum aetatis  
8vum superarunt, neque hactenus Confir-  
mationis Sacramentum receperunt, et ni-  
tide exaretur consignatio Episcopo Visita-  
tionis causa venturo tradenda cum co-  
lumnis:

4. Pari ratione scribantur Schedae, quae cuivis debite ad suscipiendam Confirmationem praeparato dabuntur, a singulis ante unctionem recipientur, dein cum praemissa Consignatione conferentur.

5. Singulis diebus Domini, et Festis a meridie Catecheses ita instituantur, ut auditores ad utiliter suscipiendam Confirmationem, aut gratiam hujus Sacramenti jam suscepti in se excitandam manuducantur; hinc Symbolum Apostolorum, doctrina de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, et Poenitentia, item decem Praecepta Dei, et quinque Praecepta Ecclesiae, peculiariter fideli populo explicentur. Quia vero plerique tantum unctionem putant ad Confirmationis administrationem pertinere, repetitis vicibus inculcetur Confirmandis tam primam, quam ultimam Orationem partem esse Confirmationis, ideoque sub utraque omnes praesentes esse debere, ne secus dubiam reddant susceptionem Sacramenti.

6. Quicunque Confirmationem suscipiunt sunt, intra triduum ante Confirma-

Nomen Baptismale et Cognomen Confirmandi et locus habitationis Ejus.	Nomen, et Cognomen Parentum Confirmandi.	Patrinus vel Matrina.	Aetas Cor- firmandi.	Nomen Con- firma- tionis.
--	--	-----------------------------	----------------------------	------------------------------------

tionem Confessionem Sacramentalem de-  
vote peragant, aut pridie, aut ipsa die  
sub Sacro Solenni Eucharistiam sumturi.

7. Templum non minus, quam reli-  
quiae Aedes Ecclesiasticae a pulveribus, et  
aranearum telis bene repurgentur, — in  
iisdem necessariae, paeprimis minores  
reparationes, quantum fieri potest, perfici-  
antur, — omnia aedificia die adventum  
Episcopi praecedente, bene e verrantur.

8. Die Domini, vel Festo Canonicam  
Visitationem proxime praecedente de sco-  
po, et functionibus hujus Pastoralis Officii  
sacer sermo ad Concionem in quolibet  
Templo Parochiali dicatur.

---

Series

## Series functionum Canonicae Visitationis.

1. Episcopus ad quamlibet Parochiam  
mane hora Septima comparebit, — a Pa-  
rocho, et fidi populo ante fores Templi  
expectabitur, — e curru descendens mox  
Templum solemniter ingredietur sub Cantu  
Antiphonae in Pontificali paecriptae, et  
ante Aram in scabello genuflectet, donec  
Vice - Archi - Diaconus versiculum: *Pro-  
tector cum oratione: Deus humilium ab-  
solverit.*

2. Mox Episcopus induet Sacras ve-  
stes, et celebrabit Sacrum lectum tribus  
Presbyteris in superpelliceo adstantibus,  
sub quo Parochus ex ambone paeorabit  
lente, clare, devote lingua principali Ly-  
tanias de Spiritu Sancto e pagellis adne-  
xis, populo respondente, cum versiculis,  
et orationibus.

3. Terminato Sacro lecto exponetur  
Castrum Doloris, et dicentur Orationes in  
Pontificali paecriptae pro defunctis lin-  
qua latina, — dein Parochus lingua prin-

cipali vernacula praeorabit Populo sequente preces e memoratis pagellis.

4. Scholares in Templo e Doctrina Christiana, Historia biblica, Cantu Ecclesiastico, et lectione examinabuntur per Parochum, et Ludirectorem.

5. Scholaribus ad domum Scholarem recedentibus Episcopus Sacram supellecstilem, et structuram Templi inspiciet, atque deposito ad fores Templi Rocheto Scholarem, et Ludimagistri domum visitabit, — Scholares ex Arithmeticæ elementis, et scribendi promptitudine themata adsignante Ludimagistro pertentabit, — postea Parochialem domum, et adsitos fundos lustrabit.

6. Hora decima ante meridiem celebrabitur Sessio Parochialis, ad quam e Communitate Parochiana praeter Notarium 12. comparebunt prævie per Communitatem eligendi quorum nomina per Notarium describentur, et haec Consignatio subscriptione Notarii, et Communitatis Sigillo munita ante Sessionem Episcopo

exhibebitur; invitandi etiam erunt ad hunc Consessum Patronus, vel hujus Primarius Officialis, item Nobiles Possessores in loco degentes.

7. Horis pomeridianis Parochus cum adjutoribus suis audiet Poenitentium Confessionem, Episcopus cum Secretario parabit Instrumentum Visitationis Canonicae per Episcopum, Vice-Archi-Diaconum, Legale Testimonium, et Patronum, aut ejus Officiale Subscriptione, et Sigillo roborandum.

8. Sequenti die hora 6ta primum, media septima secundum signum dabitur, et 7a fiet compulsus sub quo praecedentibus per paria Scholaribus Episcopus Templum ingredietur.

9. Mox Parochus, vel Cooperator ascendet ambonem, et e pagellis leget admonitionem ad Confirmandos, et reliquum populum de Professione Fidei Catholicae, item actibus Spei, Charitatis, et Contritionis eliciendis, dein hos actus Theologicarum Virtutum ita distincte, et sensu

adcuratissime observato praeleget, ut populus singulas constructiones facile audire, et clara voce praeeuntem sequendo recitare possit. Interea Episcopus pro Solemnibus Sacris se parabit, et induetur.

10. Absolutis Actibus Fidei, Spei, Charitatis Episcopus in Pontificali ornatus aut e Cathedra, ubi commoda fuerit, aut e gradu Sanctuarii dicet brevem sermonem ad populum, et continua serie credenda, et agenda cum relatione ad Confirmationis Sacramentum explicabit, atque data Benedictione Sacrum Solemne inchoabit, sub quo vernacula lingua canet populus organo, aut etiam aliis musicis Instrumentis sonantibus.

11. Post Cantum Evangelii Episcopus considebit, et Parochus, vel Cooperator perfectis diei epistola, et Evangelio lingua vernacula his, atque adjunctis Parochiae convenientem bene elaboratum sacram sermonem dicet, quin seu Episcopi illas laudes adferat, seu in populum invehatur, ideoque Sermonem descriptum pridie Episcopo exhibebit. Post sacram sermo-

nem per Concionatorem orabitur e Cathedra clara voce praescripta Oratio pro Rege, et omni Classe hominum, quin Populus Sacerdotem sequatur.

12. Cum secundo pulsu campanulae ad aram, Cantus, et musica cessabit, et silentium observabitur usque finem Elevationis, dein vero majori campana in Turri breviter signum ternis vicibus dabitur. Particulae pro numero communicantium semper sub solemni Sacro consecrabuntur, ideoque sufficientes in calice ad aram ante offertorium ponantur.

13. Post Communionem Episcopi praeneunte Parocho populus recitat Confessionem: *Confiteor DEO, Omnipotenti* lingua vernacula, atque eadem lingua repetet verba Episcopi: *Domine non sum dignus etc.* Ad Cancellos vel gradum Sanctuarii Episcopus, in medio Templi autem alii Sacerdotes Populo Eucharistiam distribuent.

14. Data solemni Benedictione Vice-Archi-Diaconus, vel Parochus e pagellis Indulgentias vel 40. dierum, vel plenarias,

prout praevie Episcopus dicturus est, promulgabit, Confirmationis administrationem securam significabit, atque perleget e pagellis monita ad ordinem debite servandum pertinentia.

15. Finito Sacro solemni major Campana integro quadrante pulsabitur, ut ii, qui fors domum discessissent, ad initium primae orationis convenient; sub hoc pulsu, — Ludimagistro praeeunte, atque sonante Organo canet populus hymnum impressum *Veni Sancte Spiritus*, — Episcopus ad Sacristiam, vel Parochiam absque comitibus recedet mox redditurus, — Parochus, et alii Sacerdotes confirmandos disponent ita: ut ab ara usque portam Templi in latere Epistolae viri, in latere Evangelii autem mulieres consistant. Ut porro primae seriei sine disordine reliqui succedere possint, praevie adsvefiat populus illi mori, ut e latere Epistolae, seu ingredientibus a dextris viri, et pueri, ex altero latere autem mulieres, et puellae tam scamna, quam alia vacua spatia occupent, quod diebus Canonicae Visitacionis adcuratissime erit observandum.

16. Absoluto pulsu omnes Confirmandi, etiam qui extra Templum forent, propter multitudinem non volentes ingredi genuflectent, et illico super omnes per Episcopum dicetur Oratio prima; dein sequetur singulorum unctionis, sub qua duo tantum Sacerdotes Episcopo adsistent, alter scilicet praecedet, Schedas colliget, nomen confirmandi pronunciabit, et acum cum filo tenens Schedas ad filum adtrahet, quas absoluta qualibet serie colligatas ad aram adponet, inde per Aeditum ad Dominum Parochiale deferendas; — alter vero Sacerdos Episcopum sequetur, et frontem uncti gossyppio absterget. Durante unctione cum sono organi canet Populus hymnum impressum: *Credo in Te*.

17. Unctione ad finem vergente iterum major campana quadrante pulsabitur, ut siqui e Templo abivissent, pro ultima Oratione, et Benedictione redeant, quam terminato pulsu omnes genuflectentes inter pia suspiria audient. Demum Parochus ex ambone praeeunte e pagellis Confirmati gratiarum actionem orabunt, et sic solemnibus Sacris finis imponetur.

18. Confirmatio ubique in Templo administrabitur; atque ideo per Parochum praevie persvadeatur populo, ut ubi Templo angustum populo capiendo haud sufficit, absoluto Sacro solemni illi, qui nec Patrini, nec Confirmandi sunt, e Templo exeant, et memoratis locum cedant.

19. In Parochiis, ubi pluribus lingvis Sacri sermones dici solent; Lingva principali prima, et secunda die, Lingva accessoria vero tertia, vel etiam quarta die cantus, et omnes preces, cum quibus Sacra solemnia, et administratio Confirmationis junguntur, repetentur. Idcirco, sicut ubi sacer sermo diebus Domini, et festis alternando jam Hungarice, jam Germanice, vel etiam Illyrice dicitur; — prima et secunda die Lingva potioris partis, — tertia, et quarta ceteris populus sub Sacris utatur, et doceatur, atque singulis diebus illi tantum pro Confirmatione se sistant, qui lingvae diei gnari sunt, aliis ad labores campestres dimissis. Quod praevio in Sermone de Canonica Visitatione dicendo populo clare notum reddendum est.

20. Sicubi in filialibus locis Templo fuerit, lingva accessoria in tali Templo tertia vel quarta die Sacra solemnia persolventur.

---

### Regulae Decoris, expensarum, victus, Sanitatis.

1. Episcopus Equite praecedente propriis sex Equis vehetur cum Secretario, et duobus famulis; hunc currum onerarius sequetur, pariter praeuncta Episcopali quadriga, in quo Cancellista, Coquus, Cubicularius, et famulus sedebunt. Hinc pro 11. Equis bonae qualitatis foenum, et avena ubique sufficiens, et aptum stabulum desiderabitur.

2. Episcopus ubique in domo Parochiali hospitabitur, nisi commodius hospitium in alia domo offerretur; ubi vicinae fuerint Episcopales Residentiae, ad illas pro nocte Episcopus cum utroque curru redibit.

3. Tam prandium, quam Coena frugalitati conveniens adponatur, Cibos omnes Episcopalis Cocus parabit.

4. Omnes expensae tam in foenum, et avenam, quam in victimum Episcopi, et Comitum ejus erga Specificationem exhibendam ab Episcopo numerabuntur sine dilatione.

5. In quovis Districtu Vice-Archidiaconus proprio curru Episcopum sequetur, Sacerdotes autem per Parochum tot solummodo invitentur, quot necessarii sunt ad poenitentes audiendos, et sub Solemnì Sacro adsistendi causa, — Acolytorum, et Thuriferorum Officio pueris Scholaribus decenter indutis, atque prævie bene instruendis concredito.

6. Tam adveniente, quam abeunte Episcopo Campanae pulsentur; verum nemo obviā veniat, — nullae Salutationes fiant, — nemo e populo præequitet.

7. Hospitium ubique mundum, et necessariis instructum sit, sed neque pavimentum lavetur, nec parietes inalbentur.

8. Sub Cultu divino fenestrae omnes in Templo, Sacristia, et oratoriis constanter clausae erunt, et si Sacristia, vel Oratorium portam separatam, vel Tempulum plures portas habeat, principali porta Templi aperta manente, reliquae portae omnes claudentur.

9. Ubi crinium unctio viget, moneatur populus, ut adminius die administrandae Confirmationis ab hoc turpi more abstineant; partim ne Episcopi Confirmantis manus a Capillis confirmandi inficiatur, partim ne ingratis, odori spargendo materia subministretur.

---